Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 307
Quelle:
Copyright:

et Autorum de eo testimonia. Praesens Opus ineditum est.

CXIII. VIII. D. 4.

865 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 48. f. currente calamo scriptus continet *Commentaria* imperfecta *in Matthaei Evangelium* sine Autoris nomine, qui ea in usum Praelectionum scholasticarum congessisse videtur. Praevie exponuntur Prologi *Hieronymiani*. Initium est: *Matheus ex Judea sic in ordine primus ponitur &c. Hic est primus prologus beati Jeronimi qui preponitur Evangelio Mathei qui quidem prologus diuiditur in 4or partes* &c. *Fol.* 36. in *Capite* VIII. sistitur, et deinceps iterum *Prolegomena* quaedam in N. T. et expositio C. I. *Matthaei*, prout fuit ab initio *Cod.* consequuntur.

CXIV. VII. G. 10

558 Codex membraneus lat. Sec. XV. ordientis. Folior. 198. 4. per 2. columnas nitide exaratus, rubricisque distinctus commentatur in Partem *Evangeliorum Matthaei* et *Johannis Libris* IV. quorum I. et II. in *Matthaei Capitibus* V — VIII. *Tertius* in Ejusdem *Capitibus* XXIII — XXV. *Quartus* in *Johannis Capitibus* XIII — XVII. insumitur. Ratio hujus Excerptionis Commentatori est, quod in hisce *Capitibus* praecipua quaedam Doctrinae Christi fundamenta contineantur. Utitur maxime Scriptis *Chrysostomi*, *Hieronymi* et *Augustini*, nisi, quod initio *Libri* III. sibi hujus *Expositorium* deesse dicat. Prooemium Operis ita inchoat: *Licet totum evangelium annuatim deferat sua spiritualia vellera que sunt sentencie subtiles et vtiles quibus est viatoris anima induenda, tria tamen sunt loca evangelij* &c. Ad calcem *Libri* II. monemur: *Explicit Tractatus de sermone domini in monte diuisus in duos libros ad similitudinem scripti quod super isto edidit Augustinus.* Et ita pro reliquis duobus Evangelii Locis duo *Libri* supersunt. *Libri* porro omnes in *Capita* tributi sunt. At oram infimam folii, quod anteriori operimento Codicis interius adglutinatum fuit, legitur *Lymburg*. Quid si igitur quis Commentaria isthaec ad *Rupertum* Monasterii hujus Sec. XII. Abbatem referat, quem *Trithemius* in *Catal. illustr. Germ. fol.* 18. praeter alia, quae enumerat, *varios in scripturis sanctis tractatus* composuisse testatur?

CXV. VI. E. ii

Codex membraneus lat. Sec. 299
XIV. Folior. 166. f. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus inscribitur: *Postille super Johannem.* Initium est: *Nunquid ad preceptum tuum eleuabitur aquila et in arduis ponet nidum suum. XXXIX. Job. Cum inter IIIIor sacra animalia mistica significatione quatuor evvangelistas designantia beatus iohannes per aquilam figuretur* &c. Quorum PP. sen-